

incautam & imprudentem simulationem. Hæc sententia habet autorem Augustinum, qui Commentariis Hieronymi lectis primum opinionem ipsius cepit vellicare, amica quadam Epistola cui cum responderet Hieronymus, pressius & copiosius sententiam suam defendit, prolixa illa Epistola, quæ est ordine XIX. Tom. II. Hac itaque de re, non sine acerbitate aliqua, inter hos egregios Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, actum est, Hieronymo pro se allegante Origenem & Græcos supra dictos: Augustino, præter apertissima verba Apostoli, quibus potissimum nititur, adducente Cyprianum, qui hac de quæstione differit Epistola LXXI. ad Quintum, & Ambrosium. Vide de hac dissensione & disputatione in eorum Epistolis mutuo transmissis, apud Hieronymum quidem Epist. LXXXVI. & seqq. usque ad XC VII. Apud Augustinum vero in Epistola VIII. & seqv. usque ad XX. Augustini sententiam habent & tuentur præterea Tertullianus lib. V. contra Marcionem cap. 3. Commentator Paulinus Ambrosii titulo in h. l. Gregorius Papa lib. XXVIII. Moral. cap. 12. & homil. XVIII. in Ezechiel. & ut semel dicam, Latini fere omnes, qui post Augustinum hoc argumentum attigerunt, ac nominatim Thomas Aquinas in Com. ubi totam controversiam, quæ inter Augustinum & Hieronymum fuit, diligenter excutit, & ex Augustini sententia docte solvit, teste Guilielmo Estio Com. in h. l. Erasmus tamen in Annotationibus magis favet Hieronymo, quam Augustino. Bellarminus lib. I. de Rom. Pontifice cap. 28. sect. penult. agnoscit quidem in hoc facto Petri peccatum; *Sed peccatum, inquit, fuit veniale ac levissimum, aut solum etiam materialiter peccatum, id est, erratum quoddam sed absque ulla Petri culpa. Siquidem certum est, eum optimo animo fecisse, quod fecit.* Idem docent Cornel. a Lapide, Tirinus & alii Jesuitæ in h. l. Baronius vero Tom. I. Annal. ad annum Christi LI. num. marg. 32. seqq. longa disputatione contendit, *Petrum ne minimum quidem deliquisse.*

§. II. Verum enim vero factum Petri & revera fuisse peccatum, & quidem peccatum non leve, nedum levissimum, sed grave satis & grande, hisce probamus argumentis; I. *Quia* Paulus tam gravem accusationem publico scripto non promulgasset si Petrus nihil deliquisset. II, *Quia* ipso Spiritu S. attestante, Petrus

trus